



17
23.

PSYCHOLOGIAE IV. RIDICAE

S P E C I M E N . I.

P V B L I C A E E R V D I T O R V M D I S Q V I S I T I O N I

S V B M I T T E T

I O A N N E S I V L I V S S V R L A N D ,

L . V . D . E T . A N T E C . O R D I N .

D E F E N D E N T E

C A R O L O F R I D E R I C O V O L L M A R .

C V S T R I N E S I .

D I E X . I V L I I M D C C L V .



F R A N C O F V R T I A D V I A D R V M ,
TYPIS I O A N N I S C H R I S T I A N I W I N T E R I , A C A D . R E G . T Y P O G .

H
55
PSYCHOLOGIAE VI

RIDICAE

S R A C I M A N A

PABLICE E R A M T O R A M D I S C U S T I O N I

I O A N N E S I A T I A S S A R P A N D

S A M T A M T E S C O T H I N

D E S C R I P T I O N

C A L O Q U E R I D A R T O D V O L V I M A E

C E S T I C H E R

D E S C R I P T I O N



L A T I N C O D E R I S S O U Y N D M A

I O A N N E S C H R I B A N G C U N T E R I



Quod de commercio inter animam
et corpus humanum, dum actio-
nes physicæ eo producuntur,
optime cecinit eminentissimus
ille Lucretii adversarius, Polignacus: a)

*Animi proprium, ac veluti dos ipsa profecto est,
Unus ut invalidæ tradat primordia motus
Materie; non hæc aliunde recepta propagans
At primo eliciens, a nutu orientia solo.*

*Nos vero plerumque latet, quænam organa motus
In nobis vigeant, et qua sint arte regenda:
Nec rescire juvat: satis est nam velle moveri,
Quilibet ut se moveat rudis atque peritus.*

A 2

Idem

Idem moralibus quoque applicari posse, quin
quod illis re vera nimia mortalium in se ipsos in-
dulgentia accommodetur, nulli dubitamus. In-
ter ea tamen mutari statum nostrum, hujus-
que rationem mutationis in persona quæ eun-
dem mutat reperiri b): ea tamen habitus nostri
variatione modum etiam, quo nos antea re-
bus circumstantibus conne~~e~~tebamur, seu, ut
vocant, relationem nostram ad alios, variari,
ejusque mutationis illum, qui jam spontane-
am actionem produxit, autorem seu causam
liberam declarari c): autorem vero de effe-
ctibus teneri, eique commodum detrimen-
tumve ex actione sua tertio prognatum me-
rito imputari, nemo nostrum ibit inficias.
Hinc æquitatem illam, constitutam iis, qui ejus-
dem civitatis sunt, ad res suas obtinendas d) in
detegendo hoc variationis principio præ pri-
mis versari; eorumque, qui legum et consuetu-
dinis ejus, qua privati in civitate uterentur, et
ad respondendum et ad agendum et ad cavendum
se peritos e) haberi geltiunt, antiquiorem sa-
ne nullam esse curam, quam quo jure qui-
busve quid imputari debeat, et, quod idem
est, quo modo, dum haec peregit, moveri
voluerit investigare, omnes sane profitebi-
mur.

mur. Quæ cum ita sint, nec tamen res maxima, prout ex dictis patet, attentione digna concinno ordine f) hucusque proposita videatur, habitum animæ humanæ actiones nostras producentis ad leges earumque applicationem pluribus exponere et hac quidem Dissertatione primam telam pertexere, eam vero deinde curatius absolvere operæ pretium fore duximus.

a) Vid. Anti-Lucretius Lib. V. v. 230 237.

b) Actionis habes definitionem, quam suppeditat de Wolff Ontolog. §. 690.

c) Imputationem sic describit Idem Phil. Præf. Tom. I. §. 527.

d) Ita Cicero Ius Civile designat Topic. II. 9.

e) Hæc Iureconsultorum esse docet Idem de Orat. I. LVIII. 212.

f) Multa hic et illuc in Iureconsultorum scriptis de applicatione legum earumque imputatione dispersa reperiri non negamus: ordinatam tamen, quo modo voluntas ad actiones referenda, quibusve diversis gradibus ad eas concurrat, ac quæ his respondeant legum vincula, nondum invenimus pertractionem.

§. II.

Ut igitur ad rhombum accedamus, scientiam eorum, quæ per animas humanas produci possunt, seu possibilia sunt, *Psychologiam* dici a philosophis assumimus a). Hanc

iiisdem ducibus in *Empiricam* atque *Rationalem* dividere placet. Priori voce scientiam stabilendi principia per experientiam, unde ratio redditur eorum, quæ in anima humana sunt b), indigitari concedimus. Posteriorem autem, scientiam demonstrandi per priora, quæ animæ humanæ competere a posteriore observamus, definiendam affirmamus c). Hinc *Psychologæ Iuridicæ* nomine scientiam illam effectum vel influxus animæ humanæ in iurisprudentiam, quacum nobis jam res erit, in rubro Dissertationis apprime designatam fore putavimus: cuius etiam duplex genus agnoscimus, *empiricum* et *rationale*.

- a) Conf. de Wolff Phil. Rat. Disc. prælim. §. 58.
b) Vid. Id. Psych. Empir. Proleg. §. 1.
d) Dissentimus quidem hic a B. de Wolff, qui *Psych. Rat.* Proleg. §. 1. et *Phil. Rat. Disc. Prælim.* §. 112. hanc Psychologicæ partem *scientiam* nominavit *eorum*, quæ per minimam humanam possibilia sunt. Hæc vero scientia non sola ratione sed experientia quoque perdisci possit, nimis generalis nobis videtur Wolfsiana definitio. Nec Empiricam nostræ principia, nisi illustrationis atque confirmationis, suppeditare credimus, quod tamen *Id. Psych. Empir.* l. c. §. 4. et *Rat.* l. c. §. 3. defendit. Sienim psychologia empirica *scientiæ* nomen meretur, ea, quæ per experientiam in anima deprehendimus in hac psychologicæ parte ex posteriori demonstrari debent: si vero sola *fiabiliti* principia dicas ac omnem demon- stra-

strationem ad rationalem rejicias, non erit scientia, an-
nuente ipso Wolffio Phil. Rat. I. c. §. 30. E. in rationali
non ex empirica, sed a priori, principia demonstratio-
nis desumenda contendimus.

§. III.

Ne vero quis æthiopem nos lavare, nec
adesse, qualem Psychologicæ Iuridicæ colo-
re depinximus, notionem jaætitet: eidem
triplicem opponimus argumentationem. Si
constat, animam humanam in applicatione ju-
ris esse respiciendam: si constat, leges ideo ferri,
ut serventur, ac transgressores puniantur; de
iis autem, qui normam præscriptam agno-
scunt aut contemnunt, non nisi cognita arte
nostra judicium concipi poterit: si denique
constat, legum scopum talem esse, qui felices
reddat homines, is autem ipse non nisi serva-
tis scientiæ nostræ regulis obtinebitur: con-
statbit quoque, labore, eruendæ Psycholo-
giæ Iuridicæ naturæ dicandum, nec frusta-
neum fore, nec intenui. Omnem locum exem-
plu tam e Iure naturali, quam civili, canonico,
criminali, feudalì, ac denique publico de-
sumto, paucis explicabimus.

§. IV.

Prior thesis, in applicatione juris animæ
huma-

humanæ rationem habendam, tam clare patet, ut ad hanc solam fere, non attentis ipsius corporis actionibus, reflectendum esse non nulli duxerint a). Quæ licet modum superent, ipsam tamen veritatem nostram non ofuscabunt. Ac quod ad Ius Naturæ attinet, ad communem illam de metu imputatione que nonnisi causæ actionis liberæ facienda do-
ctrinam b) provocamus. Consentientem invenies lavolenum Iureconsultum c): In lege fundi vendendi lapidicinæ in eo fundo, ubique es- sent, exceptæ erant: (et) post multum temporis in eo fundo repertæ erant lapidicinæ: eas quoque vendoris esse Tubero respondit: Labeo, referre quid acutum sit. Si non appareat, non videri eas lapidicinas esse exceptas; neminem enim nec vendere nec excipere, quod non sit, et lapidicinas nullas esse, nisi quæ appareant et cedantur: aliter interpretantibus totum fundum lapidicinarum foræ, si forte toto eo sub terra esset lapis. Hoc probo. Ego rationem legis non tantum in verbis ultimis, quæ incipiunt: aliter interpretantibus; alt in his quoque pono: neminem enim nec vendere, nec excipere quod non sit; cum de his scilicet cogitari nequeat, dum ex sententia philosophorum non entis nullæ sint qualitates.

Primo

Pari modo distinguit Alexander pontifex maximus: d) Ex tuarum literarum tenore acceperimus, quod presbyter cum quodam infami ad privatum locum accessit, non EA INTENTIONE, ut vocaret dæmonium, sed inspectione astrolabii furtum cuiusdam ecclesiæ posset recuperari. Verum licet hoc EX BONO ZELO ET SIMPLICITATE se fecisse proponat, id tamen gravissimum fuit, et non modicam inde maculam peccati contraxit - Mandamus, quatenus TALEM, ei pro expiatione illius delicti poenitentiam imponas, quod per annum et amplius si tibi visum fuerit, eum ab altaris ministerio præcipias abstinere, et ex tunc liberum sit ei exercere officium sacerdotis. Eandem distinctionem, ubi de criminibus agitur, sollicite leges exprimunt e): Ein jeder Mörder oder Todtschläger, wo er deshalb nicht rechtmäßige Entschuldigung ausführen kann, hat das Leben verwirkt. Aber nach Gewohnheit etlicher Gegenden, werden die fürsätzlichen Mörder und Todtschläger einander gleich mit dem Rade gerichtet, darinnen soll Unterscheid gehalten werden. Und also, daß der Gewohnheit nach ein fürsätzlicher und mutwilliger Mörder mit dem Rade, und ein anderer, der ein Todtschlag aus Zäheit und

B

Zorn

Zorn gethan, und sonst auch gemeldte Entschuldigung nicht hat, mit dem Schwert vom Leben zum Tode gestrafft werden sollen. Superest, ut Iuris Feudalis assensum doceamus. Ita autem illud f) Munechet man aber ein Kint binnen sinen jaren, ez muz wol binnien suten jaren uz varen, und beheldet Lentrecht und Lantrecht, begibt aber sich ein man der zu sinen jaren komen ist, her hat sich von Lantrechte und lehenrechte geleget, und sine lebne sind von ihme ledig, wen er den herschild ussgeben hat - Separatos vides minores natu atque maiores: illis jura favorabilia, si votum monachale forsan fecerint, ob mentem scilicet imprudentem; his eadem adversa, ob suppositam rei tamarduæ dignam, antequam elegerint, considerationem. Tandem ex lute Publico celeberrimum illud Statuum Lusitanorum editum anno 1641. propositum g) in partes nostras advocabimus, qui expressis verbis se regum suorum tyrannidem exercentium judices, taliumque cupiditate regnum depositione liberandum declarant. An vero quis tyrannidem exerceat, an temporum injuria coactus iussiones quasdam nimis forsan subditorum aliqui onerosas invitus suscipiat, nonnisi ex constanti

stanti perpetuaque voluntate, eundem se præbendi, dijudicari poterit.

- a) Ad omnes illos provocamus, qui conatum eadem, qua crimen ipsum, poena puniendum statuerunt.
- b) Pluribus hæc exposita leges in Progr. An except. quod metus caus. valid. renunt. queat? §. XXI.
- c) l. 77. D. de contrah. emt. Ad vulgata, qualia in Progr. cit. nec non l. 11. D. de poen. l. 47. 79. D. dereg. jur. invenies, sponte non descendimus.
- d) Add. c. 2. X. de fortileg.
- e) Constit. Crim. Carol. art. 137.
- f) Ita Ius Prov. Saxon. art. 25. ap. Senckenberg Corp. Iur. Feud. Germ. p. 592. Si minor in monasterium detruditur, exire debet, antequam majorem ætatem attigit, ac jura feudalia et provincialia salva retinebit; quod si major votum fecerit, jura modo dicta amisit, ac feuda pro apertis habentur, dummodo clypeum suum dereliquit.
- g) Quand les sujets sou traitez tyramiquement par leurs Souverains, il est en leur pouvoir de leur ôter la Couronne, lorsqu'il s'agit de leur propre défense; et en semblable cas on ne devoit jamais s'imaginer que les sujets ayant pretendu engager leur foi, ni que les obligations de leur serment puissent s'étendre jusquer là. Integrum hoc scriptum videri poterit ap. Schmauff. Corp. Iur. Gent. Acad. Tom. II. p. 2290. ac verba cit. p. 2299.

§. V.

Quod ad alteram attinet, qua legibus obedientes inobedientesve non nisi ex artis nostræ præceptis dignosci posse statuimus, propositionem; ex Iure Naturæ principio notamus,

B 2

eos,

eos, qui legem servant, ab illis, qui eidem obediunt, omnino distinguendos esse. Piores dicunt, quicunque legis præcepto convenienter vivunt; posteriores, qui ea de causa has nec alias actiones suscipiunt, quod eas legis norma præscriptas norunt. Idem inter transgressores legis discriminem faciendum a). Dum igitur de merito poenave Titio infligendis quæstio movebitur, omnis rei cardo in isto versabitur, num ex proposito atque voluntate, an casu forsan, legis mandatum impleverit contemseritye. Ait

*Nil velle potest nisi primum intelligat: ergo
Hanc motus causam constat simul esse scientem.*

Mens igitur prima est motus atque unica causa: b)
ex eaque omnia hic dijudicanda venient. Eandem luliani rationem fuisse puto, dum eum,
qui sine dolo malo ad judicium provocat, non vide-
ri dolo facere pronuntiat c). Nec alia via sub-
tilem canonistarum inter usuras et id quod in-
terest, quorum illæ maximo fervore condem-
natæ, hoc numquam non permisum, distin-
ctionem salvare posse, ex eis, quæ jam alio lo-
co fuse differuimus d), facile perspicies.
Expresse sane *Divus Hadrianus in hæc verba re-*
scripsit: In maleficiis voluntas spectatur, non exi-
tus

etxxx) o (etxxx

13

tus e). Nec feudo privandum Longobardi vasallum censuerunt, nisi de ejus inobedientia constiterit, ideoque, illo fidelitatem non præstante dominus tribus vicibus, convenienti tempore interposito, forte septem dierum spacio, ad curiam suam super hoc reclamaverit, et vasallus tribus vicibus citatus a suis paribus jurare noluerit f). Pari de causa, poenam eorum, qui jure monetandi abuntur, non nisi illis infligendam censet Capitulatio novissima g), qui incepto perseverarunt. Auch, w^o wir beständig befinden, daß diejenige Stände, denen solches Regal und Privilegium verliehen, dasselbe dem Münz-Edict und andern zu desselben Verbesserung erfolgten Reichs-Constitutionen zugegen, missbrauchen, oder durch andere missbrauchen lassen, und sich also ihrer Münzgerechtigkeit, ohne fernere Erkenntniß verlustig gemacht, et quæ sequuntur.

a) Cf. Daries Iurisprud. Univ. P. gen. Cap. III. §. 108-109.

b) Anti-Lucretius Lib. V. v. 250-252.

c) Vid. I. 63. D. de divers. reg. jur.

d) Leg. Progr. ad c. XIII. X. de Vs. et I. III. C. de
maur. foen.

e) I. 14. D. ad I. Corn. de sic. et venef.

f) Ius Feud. Longob. I. XXIV. l. ap. Senckenberg
l.c. p. 385.

B 3

g) Ant

g) Art. IX. §. 7. Hoc quidem modo verba legis obscura interpretari nos posse confidimus, de quibus, si placet conferas Mosers Anmerk. über die Wahl. Capitul. Caroli VII. p. 339.

§. VI.

Tertium illustrandum suscipimus, commodacivium, quæ a legislatore præsertim intendi nemo negabit, solo *psychologicæ juridicæ* ministerio acquiri posse. Nec est, quod multa adstruamus effato Iuris Naturæ clarissimo, illam respectu mei pro vero bono reputandam non esse, quam ipse pro tali non agnosco, felicitatem. Eam autem ut de re quadam concipiā opinionem, motiva sunt excogitanda, quæ menti meæ perfeccio nem adfuturam repræsentent, ejusque voluntatem ad hanc inclinent exoptandam. Hinc illius, quod in animam civium influat, quam maxime rationem habendam esse per se patescit a). Hinc quamvis libertatem *rem inæstimabilem* b) leges Romanæ declaraverint, illum tamen, qui volentem retineat, non videri dolo malo retinere, sed quid si volentem quidem retineat, non tamen sine calliditate circumventum, vel seductum, vel sollicitatum, neque bono vel probabili ratione hoc facit? Recte dici dolo malo retinere pronuntiant

tiant c). Ac Augustinus: *Qui ex timore, ait, facit præceptum aliter quam debeat facit, et ideo jam non facit d).* Huc quoque illa legum effata referimus, quibus judici reum jusjurandum præstaturum vel divini ministri auxilio de formula illius dignitateque aëtus suscipiendo, antequam admittatur, serio monere injungitur. Eodem fundamento Iuris Feudalis dispositio nititur: *Quoniam inter dominum et vasallum nulla fraus nec ullum malum ingenium debet intervenire, idcirco per hanc præsentem legem sancimus, si vasallus non dolose per annum et diem steterit quod a domino sui beneficij investitaram non petierit, feudum non ob hoc amittat. Solus enim abesse videtur, si justa causa impediente steterit e).* Si enim non dolose stetit, animum defraudandi dominum minime habuit, ideoque feudo suo, felicique vitæ genere, non esse spoliandum, leges denuntiant. Ultimo loco sic argumentari liceat: Cum illa, quæ maxime civium conditioni convenient, statuta aliis eos reddunt feliores, ob hanc ipsam causam, quia cum actionibus eorum arcte consentiunt, sancte sunt consideranda: inde vero rationem aliquam elicere dabitur, cur in Rec. Imp. Nov. f) dispositum inveniamus;

Daf

Dass der Richter, ehe er die Proces erkennet, jedes Orts Obrigkeit, und des Status publici mit einlaufendes Interesse mit seinen Umständen wol erwägen - auch des Orts Obrigkeit - den Gewalt haben, dergleichen Statuta nach Gelegenheit der Läufse, und Zeiten zu wiederrufen und zu ändern. Vari igitur Psychologiam Iuridicam evicimus: quæ restant, cum hic filum abrumpere jubeamur, alii temporis reservata sunt.

- a) Prudentis sane est, characteri civium mandata, quoad fieri potest, accommodare, quod etiam fieri soleat multis exemplis evincit Boehmeri D. de diversi. jur. ex diversi. climati. ort.
- b) l. 106. D. de reg. jur.
- c) l. 3. §. 5. D. de lib. hom. exhib.
- d) c. 8. X. de Reg. Iur.
- e) 2 F. LII. §. 3. ap. Senckenb. l. c. p. 410.
- f) §. 106.



PRAE-

P R A E N O B I L I S S I M O
 * * * * *
 A C
 D O C T I S S I M O
 D O M I N O
 R E S P O N D E N T I
 S. D. P.
 I O A N N E S F R I D E R I C V S P A V L I,
 C V S T R I N G - N E O M A R C H I C U S,
 O P P O N E N S.

B
 o n u m et laudib u s utique dignum e s t , se t o -
 t u m i i s a r t i b u s , q u a e g e n e r i h u m a n o p r o f u n t ;
 et ex quibus haud parum emolumen t i in Re m -
 publicam redundat tradere : laudabilius et me -
 lius ,


lius, in iis subsistere ac proficere, omniaque,
quae in iis continentur ad aurificis stateram
examining: optimum denique et sumnum lau-
dis incrementum est, ea, quae antea quis con-
didit ac reposuit tandem depromere, et in his
uires ingenii experiri. Haud quisquam
igitur erit, qui consilium *TVVM* im-
probaturus sit, quod post aliquot annorum
desluxum quibus et in Regia Fridericia-
na et in hac alma Viadrina juri aliisque
scientiis operam nauasti, tandem emenso studio-
rum academicorum stadio specimen vigilarum
TVARVM summa industria excogitatum,
sesamoque ac papauere quasi sparsum Eruditio-
rum

rum disquisitioni exhibitus Cathedram publicam ascendas, ad certam en illud eruditum, quod uires ingenii acuit ineundum. Satis superque hocce comprobabis, TE non uano otio triuisse tempus, sed in euoluendis sapientium virorum lucubrationibus ingenium exercuisse, atque tantos acquisuisse profectus, quibus patriae aliquando et reipublicae commode inseruire ualeas. Quod quidem non TIBI solum salutis erit, sed in primis Venerando Parenti TVO, quem Deus T.O.M. ac lares suos salvum sospitem et ab hostium telis immunem servare benigne uelit, adferet solatium, spem, summamque obtestationem. Nil igitur nunc restat,

stat, nisi ut de specimine hoc eruditionis Tuue
et Venerando Seni et TIBI animitus gratu-
ler, meque sincero pectori TVO et in poste-
rum commendem. Vale, amareque animo
TIBI deuinctissimum ne define. Dabam

Francfurti cis Viadrum ipsis Calendis
Iulii MDCCLV.





Frankfurt a. O., Diss. 1751-55.



f

56.

W 18 kat 72



Farbkarte #13

B.I.G.
Black

8
7
6
5
4
3
2
1
Centimetres
Inches



CHOLOGIAE IV.
RIDICAE

S P E C I M E N . I.

CAE ERVDITORVM DISQVISITIONI

S V B M I T T E T

N E S I V L I V S S V R L A N D ,

I. V. D. ET. ANTEC. ORDIN.

D E F E N D E N T E

O F R I D E R I C O V O L L M A R .

C V S T R I N E S I .

D I E X . I V L I I M D C C L V .

R A N C O F V R T I A D V I A D R V M ,
S C H R I S T I A N I W I N T E R I , A C A D . R E G . T Y P O G .

1755, 6

18

17